Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 939
Quelle:
Copyright:

paruitatis obedientiam placido pectoris tui portu recipere non dedignare &c. *Ego bonus et katholicis lectoribus consentiens inmundorum non curo querelas* &c. Quis haec, et ad quem? Vix *Isidorus*, sed Monachus potius aliquis *Britanniae*, aut *Galliae* maritimae. C. VIII. *fol.* 73. de Aestu maris haec legas: *cuius cursus tota conuenientia ledionis et malline diuersas uicissitudines patitur. sed ledionis adsissera* (accessa, Accessio) *VI. semper horas incrementi sui inimminuta consuetudine complet, et per totidem horas ipsa spatia que texerat retegit. Malline autem adsissera V. horas inundationis sue agit. et per VII. horas ejusdem recessa* (recessio) *ea litora que compleuerat uacua reddit, que tantam concordiam cum luna habere uidetur* &c. *Accessam* et *Recessam* Oceani habent *Glossaria;* adferunt item *Martinius* in *Lex. Philol.* et *Ducangius* Scriptorum loca, in quibus *Ledo*, *Ledon*, *Lidon*, *Ledona*, *Lidona*, *Liduna*, *Lida* pro moderatiore, *Malina* vero, *Mallina*, *Malinea* pro vehementiore maris aestu ponitur. At inter numerosa haec loca nulla Autoris nostri mentio. Primus horum verborum usus occurrit Sec. V. apud *Marcellum* dictum *Empiricum de Medicamentis* edit. *Basil.* 1536. f. c. 16. p. 121. c. 25. p. 171. 172. et c. 36. p. 248. dein apud *Bedam* cum c. 39. *de Rer. Natura*, tum c. 27. *de Temp. Ratione*, item, ut recentiores praeteream, apud Autorem *de Mirabilibus S. Scripturae*, qui in *Append.* T. III. Opp. *Augustini* edit. *Maur.* praefixo est, *col.* 7. c. 7. *Libri* I. Atque hunc e quadam elocutionis convenientia suspicari licet notum fuisse Nostro, cujus saltem summa *Capita* adscribam, ut Bibliothecarum Praefectis conferendi negotium expeditius reddam: I. *De fide trinitatis.* II. *De creatura spirituali.* III. *De aquis que super firmamentum sunt.* IV. *De firmamento celi.* V. *De sole et luna.* VI. *De spatio superiore et paradyso celesti.* VII. *De spatio inferiore et emisperijs diuersis.* VIII. *De dyabolo et natura demoniorum et natura aquarum et cursu.* Nescio, an non duo hic in unum Caput confluxerint. IX. *De paradyso ubi primorum hominum habitatio extitit.* X. *De situ terreni orbis quem habitat luna.* XI. *De natura hominum post peccatum.* XII. *De diuersitate peccantium et de loco penarum.* XIII. *De igne purgatorij.* XIV. *De uita futura.*

IV. *fol.* 79. p. 2. *Incipit Ysidorus de norma uiuendi.* Ita quidem: *Queso te anima, obsecro te anima, deprecor te, ne quid ultra leuiter agas* &c. At sic incipit in edit. *Breuliana Paris.* 1601. f. p. 313. *Liber II. Synonymorum*, quocum currit textus noster aliter tamen divisus, et jam plus, jam minus continens usque ad Edit. c. 15. Tum vero plura tam e Libello *de Contemtu Mundi*, quam e *Norma Vivendi* immixta sunt, donec in c. *ult.* redeatur ad *Synonyma* et cum illis concludatur: *Nichil mihi te carius, nichil michi te dulcius. Tu mihi super uita mea places.*

Novo